



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. An Summus Pontifex citra patroni consensum possit beneficium conferre; & an etiam Legatus Papæ possit juri patronatûs derogare?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

cus, cui ex vi factæ unionis, assignatio portionis per se competit, omnia onera, & iura Episcopalia, ac hospitalitatis v. g. ferre velit, ad plus assignandum Vicario obligari non potest. quàm ut congruam sustentationem habeat, pro victu, & vestitu. Non possunt tamen Episcopi qualitates, sive conditiones beneficii in prima fundatione apponitæ, quamvis consentiat patronus successor, in totum saltem, & in perpetuum mutare, cum talis mutatio, ex iusta causa faciendâ, soli Pontifici ex plenitudine potestatis concedatur *Clement. 2. De Relig. Domi. c. Tua. 17. De testam.* Negari tamen Episcopis non debet, quod fundatoris voluntatem, cum consensu successoris patroni, ex iusta causa per epychiam interpretari, & ab ea pro una alterave vice recedere possint, cum in tali casu non tam recedatur ab ultima fundatorum voluntate, quæ mutationem perpetuam non admittit. quàm voluntas eorum explicetur, quæ rationabilis semper esse debet.

§. V.

An Summus Pontifex citra patroni consensum possit beneficium conferre; & an etiam Legatus Papa possit iuri patronatus derogare?

Quamvis Summus Pontifex nunquam censetur derogare Laico patronatui, nisi expressa derogationis huius mentio fiat (ut ne scilicet à fundandis, &c. beneficiis deterreantur homines) patronatui tamen Ecclesiastico læ-

pius, ac facilius derogatur, cum pro his allata causa nihil urgeat, ita ut reservata etiam talia beneficia patronatui Ecclesiastici Summo Pontifici fiant, si saltem clausula generalis, ad cuiuscunque patroni præsentationem beneficia talia pertineant, addatur; prout etiam docet *Glossa communiter recepta in Clement. 2. verbo: Apostolicis. De præbendis.* Quin imò etiam Sedis Apostolicæ Legati à latere possunt sibi reservare beneficia primò vacatura v. g. ac certæ personæ, cum vacant, conferre, etiam si patronatus Ecclesiastici illa sint, & nihil de hac reservatione, & collatione interrogetur patronus talis *c. Cum dilectus 28. h. t.* quia tamen in nostra Germania talium reservationum vix aliquis usus est, propter Concordata nostra, ideo de illis plura dicere necessarium non est.

§. VI.

Quibus modis ius patronatus amittatur, vel extinguatur?

Variis modis amitti ius patronatus, certum est, & apud varios videtur potest: sic amittitur subinde per liberationem alteri factam, sive per remissionem huius iuris, per mutationem Capellæ in Ecclesiam Collegiatam, per unionem alteri Ecclesiæ, aut monasterio factam; per præscriptionem contra præsentationem; per familiæ, penes quam ius patronatus est, extinctionem; per apostasiam, simoniam, hæresin, &c. patroni.